

www.e-rara.ch

Dialogorum Platonis argumenta

Tiedemann, Dieterich

Biponti, MDCCLXXXVI [1786]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2796

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32325>

Apologia Socratis.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

mus, quod a Diis amatur. His auditis Euthyphro, non esse sibi amplius disputandi de his spatium caufatus, discedit. Subtilissime simul & accuratissime de sanctitate, seu fonte nostrorum erga Deum officiorum disputat. quae res quam sit abstrusa, patet vel inde, quod nostra vix demum aetate vera, ob quam coli a nobis vult Deus, causa est patefacta. Qua de re cum apud antiquiores nihil me legere meminerim; tribuere haec Platoni auctori non dubito. Intellegitur simul hinc, quantopere philosophorum studia verae profuerint religioni, & emendandis absonis rudium hominum de rebus divinis notionibus.

APOLOGIA SOCRATIS.

DEFUNCTO Socrate, memoriam eius culturus, simulque ab omnibus, quas adaspererant ei inimici, maculis purgaturus discipulus pius, orationem hanc scripsit, qualem habere Socrates potuisset, quaeque personam eius & vitam maxime deceret. Missis itaque omnibus verborum lenociniis, & oratorum blandimentis, eodem fere modo Socratem facit loquentem, quo disputare cum discipulis, & verum defendere semper solebat. Primam accusationis partem, qua de Diis & rebus divinis nimium curiose disputare arguebatur, diluit ita, ut neget, haec sibi curae unquam fuisse, inclaruisse tamen sapientiae cuiusdam humanae beneficio, quam, quaerente quodam amico, Delphicum sibi oraculum tribuisset: cuius oraculi sensum ut perciperet, sciretque qualis esset, quam Deus suam intelligeret sapientiam, aggressum sese omnes, qui habebantur sapientes, ac disputando cum iis in ruborem eos dedisse; quo ipso hanc esse suam sapientiam intellexisset, quod nihil sciret, simul tamen plurimorum sibi invidiam conflasset: eamque solam esse, cur in iudicium nunc sit vocatus, causam. Inimicos

enim suos, cum aliud non habeant, ad locum quandam communem confugere, quaeque opinio vulgi reprehendit in philosophis, sublimia eos scrutari, Deos negare, sibi obicere. Apparet hinc, eandem semper de philosophis vulgi fuisse persuasionem, idque quare accidat, adeo facile intelligitur, ut omni supersedere queam explicatione. Alterum, quo corrumpere iuventutem accusabatur, pluribus modis evertit. Lubentem se, inquit, non corrumpere iuvenes: esse enim hoc infani, cum nemo lubens amicis & familiaribus male faciat. sin vero invitum se dicat accusator id facere, docendum ab eo esse, non in ius vocandum. Nescire porro, quid sibi velit, accusatorem, & secum pugnantia dicere. quod si enim iuvenes corrumpi existimet eo, quod Deos neget; id redargui statim, cum novos se Deos invehere in urbem affirmet, adeoque, Deos se negare simul & non negare, dicat. At, inquit, obiiciet mihi forte quispiam, Quid, o Socrates, rebus eiusmodi operam navas, quae in vitae te periculum adducunt? Huic ita respondeo: Id modo est quaerendum viro bono, utrum iusta & utilia tractet: vitae autem ratio nulla habenda. quem quisque obtinuit locum, seu sponte electum, seu a superiori assignatum, eum tueri decet, morte, ignominia, periculis quibusvis spretis. mihi philosophiae provincia ab oraculo est tradita: hanc ego ad ultimum usque vitae habitum, quidquid dixerint, aut fecerint Athenienses, obtinebo. Qui me condemnarunt, iis mala multa praedico patienda: qui me absolverunt, iis solatii causa, ne mortem meam lugeant vehementer, affirmo, hanc rem esse mihi utilitati, cum daemonis monitum, quod semper me retinet, quoties in eo sum, ut agam, quae mihi sunt obfutura, non perceperim. Praeterea, aut omnis sensus morte extinguitur, adeoque nihil in morte est mali; aut, si non extinguitur, in ea sum loca migraturus, ubi cum optimis maximisque antiquitatis viris quam iucundissime vitam degam. De daemone seu genio Socratis commodior dicendi locus dabitur infra: quod autem attinet ad argumentum, quo mor-

tem solatur, primus eius auctor videtur Plato, idque Epicurei deinde in suos transfulerunt hortos.

CRITO.

PRIDIE illius diei, quo redituram a Delo navem concitabat Crito, Socratem convenit in carcere, ut summo ei studio persuaderet, fugam esse capeendam; corrumpere enim sese custodes facile posse: esse autem festinandum, quod, simul navis redierit, mors ipsi sit oppetenda. quamdiu enim aberat navis sacra, publice interficere neminem Athenis licebat. Haec ut refutet Socrates, & Critoni demonstrat, recte sese & ex officio suo facere, his utitur argumentis: Nunquam alii est parendum, quam rationi; vulgi opinio parvi contra pendenda, & id semper sequendum, quod probatur ab eo, qui iusta & iniusta optime intelligit, quodque veritas ipsa iubet; corporis autem hac in re ratio nulla habenda: quod enim laeditur & corrumpitur iniustitia, praestantius est corpore. Porro vivere ipsum nunquam est anteponendum vitae recte actae. cumque bene vivere nihil sit aliud, quam honeste ac iuste vivere; id unum restat inquirendum, utrum iustum sit ac honestum, me, invitis Atheniensibus, hinc abire. Cetera omnia, quae de subeunda morte, de liberis meis educandis, a Critone afferebantur, insuper sunt habenda: omnia enim nobis sunt patianda potius, quam iniusti quidquam in nos admittamus. Quae de honesto hic memorantur, alibi uberius a Platone exponuntur, ubi commodius de iis differetur. Quod autem omni iniuriae vitam esse postponendam existimat, id arctioribus circumscribi limitibus par est. sunt enim nonnullae iniuriae adeo exiguae, ut vita earum vitandarum causa non videatur dimittenda, praesertim si invitus & reluctans ad eas accesseris; idque iuris naturae doctores hodie largiuntur omnes, necessitatem ultimam legibus derogare docendo.

Platonis Argumenta.

B